

**Dissertatio medica inauguralis de malo hysterico ... / Publicae ventilationi
submitti [sic] Petrus, Samuel de Chauffepié.**

Contributors

Chauffepié, Pierre Samuel de, 1730-1784.
Egers, Johannes, 1696-1755.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Joannem Heyligert, 1752.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zsbjsh42>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

MALO HYSTERICO.

QUAM,

ANNUENTE DIVINO NUMINE

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

D. JOANNIS ESGERS,

S. S. THEOLOGICÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS,
UT ET ANTIQUITATUM HEBRAICARUM IN ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARI.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè
ac legitimè consequendis,

Publicæ ventilationi submitti

PETRUS, SAMUEL DE CHAUFÉPIÉ,
HAMBURGENSIS.

Ad diem 28. Junii 1752. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOANNEM HEYLIGERT,
MDCCLII.

DISERTATIO MENDICATA
INDUCTIONIS

DE

MALO HYSTERICO

QUAM

AMPLIUS DIVINO NUMINE

ET SACRIS LITTERIS ILLUSTRATA

D. JOANNIS ESCHER

S. S. THEOLOGICAE DOCTORIS, EUSDEMQUE FACULTATIS

UT ET ANTIQVITATVM HERRATICVM IN ACADEMIA

ALTDVNO-SALINA PRAEFICIT ORDINARI.

NEE NON

AVGVSTINI SENATUS ACADEMICI

ET ACADEMICAE FACULTATIS MEDICAE

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISSE IN MEDICINA HABILITATA ET TITVLVS


DE LEGIBVS CONSPICVIT

PLVRES VERTVITVS

PETRVS SAMVVL DE CHAVERRIE

HABVIT

ALTDVNO 23. JUNII 1772.



LUCIVS BATTALON

AVGVSTINI SENATUS ACADEMICI

MODICIS



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

MALO HYSTERICICO.

§. I.



um varia sit forma sub qua se manifestare solet affectus iste sive potius ingens illa passionum cohors quæ mali hysterici nomine nobis venit, nec semper iisdem sed satis diversis sæpe symptomatibus stipata incidat, operæ pretium esse existimo primo omnium veram & accuratam ejus historiam paucis suppeditare. Incipit autem ut plurimum dirus hic affectus cum insigni virium prostratione, sensuum ac mentis torpore, languore totius corporis, cibi inappetentia & omnium rerum fastidio. In nonnullis observatur appetitus vagus frequenter absurdus, coniunctis simul pertinacibus vomendi conatibus. Mox succedit dolor tensorius lum-

borum, cum frigoris & horripilationis sensu. Percipiunt dein ægrotæ flatulentas & molestas tensiones præsertim in regione hypochondrii sinistri successive invalescentes, & borborygmos atque ructus experiuntur frequentissimos, accedit respirandi difficultas, sensus suffocationis & constrictionis in faucibus, ingens circa præcordia anxietas & insignis cordis palpitatio. Pulsus est rarus, parvus, inæqualis imo quandoque intermittens, alvus constipata & adstricta ita ut nonnumquam ne clyisma quidem admitti possit, adest simul ingens ad urinam stimulus quæ tenuis mingitur & clara instar aquæ. Nonnumquam in ejusmodi ægrotantibus summe dolorifica notatur umbilici versus interiora retractio & motum quasi globi cujusdam sentiunt ex inferiore ventre ad hypochondria & diaphragma ascendentis & suffocationis sensum inducentis unde complures sibi persuadent mulierculæ versus superiora ascendere uterum. Non raro etiam superveniunt oculorum obtenebrationes, & eorundem inversiones ac rotationes cum varii generis deliriis, sub quibus sæpe multa absurda & ridicula loquuntur, nec non atroces artuum & totius corporis convulsiones cum vel sine pollicum complicatione, sudores frigidi in capite prorumpentes cum doloribus hemicranicis. Aliæ in terram syncopitæ concidunt, voce amissa & ore tam arcte clauso ut sæpe non nisi magna vi adhibita diduci queat. Aliæ denique animi deliquis corripuntur quandoque levioribus ita ut quamquam videre & loqui nequeant audiant tamen quæ loquuntur adstantes; quandoque vero gravioribus, adeo ut nullum omnino vitæ signum edant, quo factum est ut aliquando ejusmodi misellæ pro defunctis perperam habitæ viventes adhuc terræ sint traditæ atque sepultæ. Notandum autem est non omnia atque singula isthæc modo commemorata pathemata conjunctim in quibuslibet occurrere hysteris; quin potius pro differenti mali gradu atque vehementia nunc eorum pauciora & mitiora nunc plura & graviora observantur.

§. I. I.

Multum sane convenit affectus noster cum virorum pathematibus hypochondriacis, & mitior ejus gradus a malo sic dicto hypochondriaco parum vel nihil differt, unde etiam a nonnullis recentioris ævi medicis pro uno eodemque cum hoc affectu habetur. Sic utrasque has passiones confundunt *Higmo- rus*, *Sylvius*, *Sydenham* aliique, qui si aliquam saltem admittunt differentiam, ea tantummodo sexum respicit, ita ut passio hypochondriaca ad potiore, hysterica ad sequiorem restringatur, de reliquo autem utriusque indolem ac naturam pro una eademque habendam esse censent. Exinde autem potissimum natus videtur error plurimorum auctorum utrosque hos affectus confundentium quod in determinanda mali hysterici genuina sede atque prima origine hallucinati sunt, dum nempe illam in ventriculo, pancreate, mesenterio, vena portæ perperam quæsiverunt, nec quidem in mentem illis venerunt illæ afflictiones quæ specialissime circa uterum & ejus partes in hystericeis occurrunt. Quod si utrosque hos affectus accuratius consideramus & ad se invicem comparamus, magnam sane inter illos intercedere differentiam deprehendimus. Quamvis enim nonnulla modo recensitorum symptomatum utriusque morbo convenire videntur, in quovis tamen diversam & peculiarem agnoscunt causam. Sic in utroque morbo respirandi observatur difficultas, sed in hypochondriaco ab inflato ventriculo & liberam diaphragmatis actionem impediente, in hysterica passione vero a violenta illa musculorum abdominis compressione & contractione. Symptomata insuper nonnulla cuivis malo propria magnam discrepantiam ostendunt. Hystericæ sæpius & de improvise insultibus syncopiticis corripiuntur gravioribus & fatis diu durantibus, cum globi ex imo ventris ad superiora ascendenti sensu & vehementissima faucium constrictione ac strangulatione quod in hypochondriacis non observatur. Musculi abdominis & umbilicus in mulierculis hystericeis vehementia spasmorum introrsum retrahuntur, in hypochondriacis a flatibus venter potius

tius extrorsum distenditur, nec denique acris ille ac notabilis frigor regionem lumbarem in hysteriis quandoque occupans in malo hypochondriaco observatur. Alius præterea solet esse mali hypochondriaci in morbos alios transitus, alius vero hysteriis, illud frequentius in melancholiam, scorbutum, febrem lentam atque morbum nigrum abit, hoc vero in febrem acutam, syncopen lethalem, epilepsiam & furorem uterinum infelici eventu terminari solet. Anatomica denique sectio corporum utroque hoc malo defunctorum insignem prodit differentiam, dum scilicet in hypochondriacis viscera abdominis, hepar, lien, atque pancreas indurata, scirrhosa & male affecta ut plurimumprehenduntur, cum e contrario in hysteriis vitium atque labes potius in utero & ovariis reperiatur.

§. III.

Quod ad naturam attinet hujus affectus, si quis alius certe noster summo jure ad passiones generis nervosi convulsivas referendus mihi videtur. Nulla enim fere in tota machina nostra animali est pars vel nervosa vel fibrosa, quæ non vehementissimis & plane effrænatis convulsionibus & spasmodicis constrictionibus exagitetur & torqueatur, de quibus satis testantur alvi strictura, suffocatio & constrictio faucium, umbilici retractio, cordis palpitatio, animi deliquia omniaque illa jam superius §. I. enarrata symptomata. Passionum hysteriarum primam originem si spectemus, cum Medicis antiquissimis & cum celeberrimo *Hoffmanno* mihi persuadeo primam illarum sedem in utero esse quærendam, unde propter exquisitissimum quo uterus cum cæteris visceribus imo cum toto genere nervoso gaudet consensum, spasmi in utero originem agnoscentes ad alias partes propagantur & extenduntur. Anatomicam uteri & partium ad ipsum spectantium hic quidem exhibere descriptionem minime mihi est animus, sed sufficiat saltem indicasse singularem uteri cum vena portæ & hinc ejus cum omnibus fere abdominis visceribus consensum (vid. *Winslow. com. IV. p. 64. & 65. §. 617. & 618.*) unde fit ut sanguis propter
spa-

spasticas constrictiones in utero vigentes ad partes vicinas regurgitare cogatur, & sic uteri male adfecti vitium ob labis communionem mox & sentiant reliqua abdominis viscera. Nec minoris momenti mihi esse videtur nervorum uteri consideratio, quos accipit uterus a lumbaribus, a nervo ossis sacri & ab intercostali de quibus vid. *Winslov.* tom. III. p. 66. §. 623. quæ omnia satis luculentam symptomatum §. 1. recensitorum suppeditare videntur rationem. Spasmodicæ scilicet uteri affectiones statim se diffundunt in lumborum nervos, indeque ob consensum medullæ spinalis nerveas membranas successive occupantes, latius & ulterius se extendunt, ex quibus facillime explicari possunt molestæ illæ quæ circa regionem dorsi & lumborum sentiuntur tensiones ut & abdominis durities, alvi constipatio, umbilici retractio &c. Sic etiam iidem spasmi diaphragma nervos intercostales ipsumque par vagum petentes difficillimam & cum suffocationis metu coniunctam efficiunt respirationem, unde impedito libero sanguinis circulo, cordis palpitationes, animi deliquia, atque turbato ejus per cerebrum motu deliria mentisque pro tempore inducuntur alienationes.

§. I V.

Exposita igitur mali hysterici indole atque sede, jam ad causas accedamus eruendas quæ dirum huncce affectum producere possunt. Duplicis autem eas, potissimum esse generis cum superius laudato *Hoffmanno* mihi persuadeo. Vel enim 1°. humor aut lymphæ ista coagulabilis quæ in mulierum reperitur ovariis, vel 2°. cruor menstruus, uterque ex stagnatione & diuturniori mora corruptus atque vitiatus, tantas in tota nostra machina animali nervosarum partium turbas excitare posse videtur, quæ binæ causæ duplici iterum ratione hysterica ista pathemata producere possunt. Non minus enim humor iste feminalis, quam ipse sanguis stagnans & subsistens vel teterrimos & systemati nervoso infensissimos generat & emit vitæ vapores, quorum quanta sit potentia in immutandis & invertendis

dis motibus ad machinæ nostræ œconomiam conservandam & sustentandam necessariis, satis constat, & de quibus legi meretur *Hoffm.* vel vasa distendendo & distrahendo magnam in partes membranaceas ac nerveas exferunt violentiam, ex quarum vellicatione & irritatione necessario vehementissimi oriuntur spasmi per totum genus nervosum se diffundentes. Ut vero eo clarius pateat mens nostra & eo evidentius appareat ex quo jure lympham nutritiam stagnantem & cruorem menstruum in utero retentum, tanquam causas passionum hystericarum accusamus, unamquamque harum causarum sigillatim examinabimus & accuratiori indagazione perlastrabimus.

§. V.

Ut igitur eundem quem jam secuti sumus servemus ordinem, primo nobis erit dicendum de lymphâ in ovariiis stagnante. Ovaria corpora sunt oblonga utrimque compressa in duplicatura ligamenti lati retro tubas sita, cum ipsis tubis mediante ligamenti lati expansione conjuncta. Quod ad fabricam attinet externam non multum uteri fabricæ est absimilis, est enim stipata, alba, cellulosa & absque adipe; si vero internam ovarii faciem spectemus bullas reperimus vel vesiculas rotundas lymphâ coagulabili refertas, in sœminis viro maturis magis turgentes quam in junioribus, Affirmat Clarissimus *Hallerus* plerumque ante conceptionem intra aliquam ovarii vesiculam nasci coagulum flavum sæpius a se visum quod valde auctum, evanescente membrana vesiculæ, in corpus abit hæmisphæricum, acinosum, luteum, intus cavum in qua cavitate secundum ipsius sententiam continetur ovulum, sive membranula cava minima, sedes futuri hominis. Simul ac pubertatis annos attigit puella circa secundi plerumque vitæ septenarii finem vel paulo ante, quo eodem tempore semen virile generari incipit, nova etiam in sœminis contingit mutatio. Sicut enim illo tempore major in maribus ad testes pro secernendo semine & erigenda genitalia observatur affluxus, ita pariter in femellis

ma

major sanguinis quantitas versus uterum congeritur, ad ovum si adest fecundandum, in cuius defectu per vias menstruas iterum ex corpore eliminatur & removetur. Sic etiam copiosior ille humorum tunc temporis ad loca uterina contingens affluxus mammarum producit efflorescentiam, pilos expellit hactenus latentes, clitoridis auget incrementum, plexus vaginæ cavernosos dilatat & veneris excitat appetitum. Nec silentio prætereundus mihi videtur mirificus ille mutuus ac plane singularis qui statim a pubertatis termino in utroque sexu observatur, animi cupiditatum cum majori humorum ad partes generationi dicatas determinatione, nexus; quo efficitur simul ac ab objectis venustis in anima veneris excitantur desideria, ut protinus etiam major sanguinis & humorum ad partes genitales insequatur affluxus & vice quoque versa quando humores majori in copia ad organa procreationi inservientia aguntur, illico veneris accendantur stimuli. Quando igitur quacunque demum ex causa humores magis ad uterum & ovaria determinantur, & vel ob solidarum partium vitium, vel ob ipsius fluidi conditionem lymphæ nutritia ibidem stagnat & corrumpitur causam habemus ingenerando malo hysterico sufficientem. Quod equidem affirmant testimonia illorum, qui corpora hocce affectu defunctorum dissecuerunt. Hystericarum ovaria sæpe pila grandiora & modo luteo, modo alio graviter olente humore referta a se inventa fuisse scribit *Vesalius* Lib. V. de humani corporis fabrica. Cap. XV. *Binningerus* Cent. II. obs. XL. ait se in hystericis vasa spermatica & tubas valde turgidas, atque ovaria crasso, albo, & ex parte indurato humore instar steomatis repleta dimidiæ libræ deprehendisse. *Riolanus* anthropol. suæ Lib. 2. pag. 35. ovarium pugni magnitudinem exsuperans induratum se vidisse refert. *Managet* in M. N. C. D. 1. a. 1. observ. XXXII. uterum turgidum & ovaria materia feminali corrupta caseo recenter coagulato non absimili infarcta a se visa notat. Et *Diemerbroekius* Anatom. Lib. I. de ventre inferiore Cap. XXIV. se plerumque in hystericis uterum excedentis magnitudinis, in eoque liquo-

B

rem

rem quendam æruginosum croceum aut flavescens reperisse testatur.

§. VI.

Altera nobis adhuc explicanda restat mali hysterici causa, quam diximus esse sanguinis menstrui in utero retentionem & propter longiorem ibi moram contractam corruptionem. Difficiliorem sanguinis per uterum fieri circulationem constat 1°. ex ipsa uteri fabrica vasis plenissima quæ mirifico inter se contorta sunt modo. 2°. ex ipsa vasorum natura, dum arteriæ quidem peramplæ sunt, venæ autem pro portione minus latæ eæque firmioris texturæ quam alibi, quo 3°. accedit quod valvulæ in iisdem non reperiuntur nisi paucae in spermaticis, unde fit ut sanguis ad uterum delatus satis difficulter per venas redeat. Hinc aliis adhuc accedentibus causis quarum mentionem faciemus in sequenti §. non potest non subsistere sanguis in utero, qui si diu ibi moratur in corruptionem abit & alteram sic mali hysterici constituit causam. Non autem semper requiritur ut sanguis in utero stagnans ibi corrumpatur, & per longiorem temporis moram ibi subsistendo putrescat, sufficit aliquando solus sanguinis menstrui per vasa uterina impeditus circuitus quo fit ut propter turgida & cruore distenta vasa, fibræ uteri nerveæ ad spasmodicas proritentur stricturas, ex quibus ulterius ad alias partes nervosas delatis & propagatis omnes malo hysterico propriæ calamitates nascuntur. Nec minori aliquando jure istæ uteri passiones nimie sanguinis inopiæ vel vasorum inanitioni, quam eorundem repletioni & excedenti humorum quantitati mihi videntur tribuendæ. Corpus enim sanguine hinc etiam viribus exhaustum ob circulationem minus vegete succedentem nec non dejectum vasorum robur, & non parum imminutas excretiones, omnibus fere patet spasmodicis afflictionibus, quæ siquidem ad interiora convertuntur, non prius cessant donec aut naturæ energia aut artis præsidio, turbatæ excretiones revocatis motibus restituantur, quod ex illarum apparet exemplo, quæ, post perpessas largiores abor-

ab ortu hæmorrhagias, aut post immodicum & diutius perseverantem lochiorum fluxum leviori causa externa accedente in passiones incidunt hystericas. Quamquam autem frequenti constat experientia, virgines quando instat pubertatis terminus, ob difficiliorem sanguinis perruptionem & inde subsequentem vasorum distensionem gravissimis multari passionibus hystericeis, quod idem etiam fœminis evenire solet in quibus vel parcius succedit vel nimis præmature cessat menstrua excretio, neutiquam tamen criticam hancce evacuationem vitiatam aut turbatam semper tanquam mali hysterici causam proximam accusandam esse existimo, siquidem nota sunt exempla virginum non minus quam fœminarum ætate provectarum quæ pertinaciter laborarunt malo hysterico quibus tamen menses satis liberaliter profluxerunt. Sæpius interim observamus & quidem maxime in sensibilibus naturæ subjectis, repentinam purgationis menstruæ suppressionem gravissima post se trahere pathemata hysterica quin etiam aliquando epileptica. Notandum denique est quod sanguinis menstrui turbata excretio, aliquando mali hysterici potius sit effectus & symptoma quam ejusdem causa; interdum enim evenit ut sub ipso malo hysterico fluxus iste saluberrimus turbetur & supprimatur ob infensissimam illam spasmorum naturam & indolem quæ omnis generis excretiones pervertit & sufflammat.

§. V I I.

Jam a nobis postulare videtur ordo & instituti nostri ratio ut causas exponamus quæ cum illis quas in præcedentibus indicavimus §. ad nostrum affectum ingenerandum simul concurrunt. In genere autem dicimus omnia ista quæ 1°. copiosiorum sanguinis & liquoris genitalis ad loca uterina affluxum excitare, aut 2°. sanguinis menstrui eruptionem atque excretionem sistere aut impeditiorem reddere valent, optimo jure ad hanc classem esse referenda. Ex censu illarum causarum quæ sanguinem & lympham nutritiam majori in copia ad loca uterina determinant statim se nobis offert temperamentum sangui-

neum atque cholericum, tenerior corporis habitus, ætas conjugio opportuna, denegatus antea autem assuetus concubitus, diæta lauta, vinosa, exæstuaus, gravior corporis commotio, exagitatio, vel refrigeratio, vehementiora animi pathemata præsertim suppressa, curæ, sollicitudines, animus jucundarum phantasiarum delectatione se depascens & denique pro singulari subjectorum idiosyncrasia suaveolentium & fragrantium odor. Et hæc quidem sunt præcipua quæ nobis circa hanc primam causarum speciem notanda occurrunt. Complura horum secundæ etiam causarum classi sunt communia, adhuc in specie accedunt nimia sanguinis & humorum abundantia, eorundem sub vita deside, sedentaria & minus laboriosa inspissatio, victus nimis opiparus, crassus acidus & flatibus ingenerandis aptus, quæ omnia tardiorum sanguinis & passim impeditum circuitum inducendo, partesque solidas debilitando ad mali hysterici generationem haud parum conferunt. Huc quoque pertinent graviora animi pathemata mœror, terror, iracundia corporis refrigeratio insignior, præsertim si fluxui uterino aut gestationi superveniunt, errores in diæta & regimine circa illud tempus commissi, usus calidorum, expansivorum, nervosque vel interno usu vel solo percepto odore graviter afficientium ut ambræ, zibethi, moschi imo aliquando rosarum aliarumque florum jucundum odorem spargentium. Denique etiam ad malum hystericum disponunt crebriores abortus, molæ, hæmorrhagiæ insigniores, non rite succedens in puerperis lochiorum fluxus, nec non perversæ medicationes, dum sub qualicunque prætextu vel menses pellendi, vel cruditates in ventriculo & primis viis hærentes eliminandi, fæmellis tenerioris ac sensibilibioris texturæ, sanguineo-cholericæ constitutionis fortiora offeruntur emmenagoga, purgantia aut vomitoria, quæ non solum horum viscerum tonum magis dejiciunt, sed etiam spasmos excitant vehementiores inæqualem & impeditum humorum circulum inducentes, & maxime in uterum propter minorem quam ibi inveniunt resistantiam vim suam atque sævitiem exercentes.

§. VIII.

Ex his igitur fatis patet quænam sint subjecta malo hysterico præ aliis obnoxia. Potissimum nempe adgreditur affectus noster virgines & fœminas animo ac corpore teneriores sanguinis & succi plenas. Virgines imprimis in hunc morbum incidunt instante prima mensium eruptione, sed eo etiam corripiuntur licet non suppressi sint menses maxime si victu utuntur calido, vino nempe generoso multisque delicatis ferculis venerem excitantibus, si in otio vivunt & gravioribus animi pathematibus vehementique & diutius inhærente desiderio aut amore vexantur. Plerisque autem hæ contingunt afflictiones intra annum XL. & L. ubi menses cessare incipiunt, vel ubi parere & utero concipere desierunt, præsertim si neglectæ fuerunt assuetæ sanguinis ventilationes. Non raro mulierculis supervenit hicce affectus ex uteri labe maxime per frequentius puerperium, infelicem abortum, malum in puerperio regimen nec non molæ aut polyposi concrementi in utero generationem. Familiaris præsertim est fœminis quæ mobile habent genus nervosum, ad animi affectus sunt proclives quæ molliter educatæ vitam agunt sedentariam & hanc ob causam vitiosa & imperfecta laborant digestionem & chyficationem. Non adeo frequenter e contrario occurrit in mulieribus plebejæ sortis, robustis, laboriosis & phlegmaticæ constitutionis, nec adeo graviter hæ diro hocce affectu convelluntur & discruciantur, sed potius in crebriora incidunt animi deliquia.

§. IX.

Postquam igitur pathologice nostrum morbum consideravimus, superest ut ejus curam & medicationem subjungamus. Ad curam mali hysterici rite adornandam maxime necessarium est ut medicus qui illam suscipit non solum sollicitè causas erueret studeat quæ sævissimum huncce affectum produciunt atque fovent, quo accommodata illis apponere possit auxilia, sed

etiam ut accuratissime cognitam & perspectam habeat individui ægrotantis naturam atque indolem, quæ tantopere aliquando inter se differt ut idem remedii genus quod in uno sæpe subjecto salutarem edit effectum in alio nullum omnino adferat levamen imo interdum quidem non leve excitet damnum. Eundem autem in therapeutica nostri affectus tractatione servabimus ordinem quem antea in pathologica ejus secuti sumus consideratione. Quod si igitur primæ causæ nempe liquori feminali in utero & ovariis stagnanti juxta §. V. suos debet natales, tunc maxime quidem eo studendum est ut humori retento quocunque modo exitus inveniatur. Maxima & præcipua in hoc casu a diæta convenienti expectanda videtur utilitas, quapropter ex cibis proscribantur omnes crassiores, calidiores, frixi, placentæ ac panificia, ova dura, vina dulcia, potus commendetur dilutior, sufficiens, motus corporis placidus continuatus, pediluvii tepidis ante cubitum adhibitis sanguis ad inferiora invitetur & denique aër frigidus & humidus interdicator. Quod si nondum profluxerunt aut suppressi sunt menses profunt blandiora emmenagoga prudenter exhibita. Quem in finem commendari potest infus. per epicrasin laxans versus novilunium exhibendum quod concinnari posset ex Rad. Vincetox. Pimp. alb. Polypod. Levist. Gram. Hb. Marrub. alb. Adianth. aurei. Meliss. Artemis. rubr. Abrotan. mont. Fl. Cheiri. Bellid. min. Bacc. lauri. Semin. fœnic. adjecta radice Bryon. aut Rhabarb. Fol. s. s. f. Croc. orient. aut Borrac. venet. cum quo simul conjungi potest usus pillularum balsamicarum Hoffmanni vel Stahlîi aut aliarum ad illarum imitationem sequentem ferme in modum paratarum, ꝛ. Extract. absynth. Cent. min. Card. bened. Cochlear. Fumar. Helleb. nigr. ana Drachm. un. Aloës rosat. vel violat. Drachm. unam cum dimidia. Gummi Heder. Juniper. Myrrh. elect. Therebinth. coct. ana Drachm. unam ex quibus cum Ess. absynth. simpl. fiant pillulæ grani unius. Egregii etiam sunt effectus pillul. Becherian. quarum genuinam compositionem in Dispensatorio invenies brandenburgico sub titulo pill. polychrest. item in Frauendorferi tabula smaragdina, pag. 286, N°. 475. Ad sedan-

dandas spasmodicas abdominis stricturas convenit Mixtura leniens & antispasmodica e. g. ex Essent. cortic. aurant. Liqueor. mineral. anodyn. Hoffmanni partibus duabus & Ess. castorei & Liqueor. Cornu Cervi succinati parte una, nec minus egregie se habet Aqua chamæmeli composita pharmacopœæ Bateanæ ad cochlear unum subinde exhibita. De reliquo alvus interdum subducatur, & servetur aperta non fortioribus quidem purgantibus, sed leni potius atque blando clystere, rhabarbarinis, ac passulis corinthiacis. Denique ut & ventriculus per consensum in hoc morbo afflictus & debilitatus roboretur & bonæ insimul ac laudabili studeatur digestionem & chylicationem Essentia præscribatur post pastum sumenda ex stomachicis & carminativis hunc fere in modum adornanda, ꝛ Essent. Gentian. rubr. Galang. Trifol. fibrin. Centaur. min. Essentiæ aromaticæ Wedelii ana Drachm. unam & dimidiam Spiritus Nitri dulc. Drachm. unam. m. vel ꝛ Comar. Absynth. Summitat. Cent. minor. Hb. Card. Bened. Tanacet. Trifol. fibrin. ana. manip. unum, Cortic. aurant. recent. Cortic. Cascarill. ana drachm. sex, Cinnamom. unc. dimid. Cardamom. drachm. duas, quæ concisa contusa infunde cum spiritu vini rectificatissimo ad trium digitorum eminentiam & blanda digestionem extrahe. Sic habebis essentiam stomachico carminativam cujus pro dosi guttæ XL. & ultra egregio cum effectu & salutariter porriguntur. Si manifesta urget plethora & venæ sectionem exposcit, in pede potius instituat quam in brachio ob majorem humorum derivationem, si vero illam instituire non consultum fuerit visum, ad eundem scopum pervenire licebit sanguinis consumptione & eliquatione, sed opus est ægroto patiente & rectis ac bonis consiliis locum permittere. De reliquis autem auxiliorum generibus in sequenti fusius & uberius agemus §. Monendum adhuc restat aliquando nullis nec optimis ex pharmaceutico fonte petitis præsidiiis cedere hunc affectum, imo nonnunquam plane ab illis exacerbari. Quæ si ita se habent, unicum superest a conjugio expectandum auxilium, cujus summam ad sanandum nostrum morbum vim atque virtutem præter celeberrimorum virorum
 testi.

testimonia atque auctoritatem experientia atque ratio egregie commendant. Hujus enim beneficio, liquor seminalis stagnans excernitur, humorum motui a genituræ virilis spiritu novum veluti conciliatur robur, & partibus etiam solidis debitus & conveniens restituitur tonus atque vigor. Jubet hanc ob causam *Hippocrates* ut virgines quæ nostrum affectum patiuntur quam citissime viris cohabitent & conjugium tanquam præstantissimum adversus hoc malum remedium commendat in libro de virginum morbis, Cap. III. *Valescus de Tarant.* philon. pharm. Lib. VI. Cap. X. si fiat, inquit in virgine affectus propter retentionem spermatis, nubat illa & morbum effugiet. Legi quoque merentur notabiles & insignes quas in sananda passione hysterica deprædicant & observationibus confirmant vinculi matrimonialis virtutes *Duretus* in enarratione ad caput LIX. *Hollerii*, & *Zacutus Lusitanus* prax. medic. admirand. observation. 91. Plurima etiam passim in *Hoffmanni* consultationibus medicis invenies exempla. Interim tamen & illis quibus malum jam inolevit & diuturnitate inveteratum est consilium hocce non semper sufficere ad salutem & sanitatis recuperationem crebra experientia docet.

§. X.

Accedimus jam ad causam mali hysterici secundam impeditam nimirum cruoris menstrui per vasa uterina circulationem, vid. §. VI. Circa autem mali nostri tractationem ac curationem, alia quidem sunt sub ipso paroxysmo in auxilium vocanda, alia vero extra illum adhibenda. Totus enim medelæ ac curationis in eo versatur cardo, ut medicus sæviente paroxysmo mali ferociam mitigare studeat, id quod efficit per topica & antispasmodica, imo aliquando per anodyna, tempore autem intermissionis causas quæ hunc morbum excitaverunt & in præsentem fovent atque sustentant, corrigere & remove, laudabilem restituere chylicationem, & influxum liquidi nervei blande provocare allaboret. Dispiciamus igitur primo quid præsentem paroxysmo tentandum sit medico, vide-
bi-

bimus deinceps quid superato illo ipsi moliendum restat. Commodam & efficacissimam in ipso paroxysmo hysterico præstant operam ad infringendam & imminuendam mali ferociam graveolentia atque fœtida naribus admota, ut asa fœtida, castorina, fumus plumarum perdicum, quæ remedia mulierculis familiarissima & fatis nota hystericas sæpe moribundis similes ex profundo quasi sopore ad se revocant. Egregie etiam spirituosa conveniunt naribus applicata, nec non volatilia & urinosa, ut sal volatile ammoniacum, aqua hirundinum acida, similiaque, institutis simul frictionibus, cum pannis asperioribus circa præcordiorum regionem atque in plantis pedum. Horum enim beneficio languens & propemodum extinctus humorum restituitur circulus, ipsaque salina ac spirituosa subtilitate sua in membranas cerebri nervosas penetrantia, illasque irritantia, toto generi nervoso novum quasi vigorem exhibent ad expediendam & liberiores reddendam vim systolicam in paroxysmo oppressam. Pro puerperis affectu nostro laborantibus abdominis commendatur cum cingulo ex corio moscovitico compressio, cujus odor hysterics valde amicus ac jucundus esse dicitur. Magnum porro adfert levamen alvi cujus pertinacissima obstructio cum passione hysterica vulgo conjungi solet, leni & blando ex carminativis & uterinis parato clystere facta subductio. Quod si autem spasmodum atrocitas ob stricturæ vehementiam clysteres non admittit, præmissis fomentationibus injectio oleosa tepide calefacta cum syringa applicetur, ex oleo lini, chamomillæ vulgaris, liliorum alborum, pinguedine castorei, axungia taxi, impetrata vero aliqua relaxatione clyster injiciatur, & tandiu repetatur donec mitigati fuerint spasmi. Nec in atrociori casu fructu suo carent emplastra ex graveolentibus, v. g. ex opponace, fagapeno, asa fœtida, galbano & oleo castorei parata abdomini imposita. Sic etiam in usum vocari possunt linimenta ex antihysterics & oleis relaxantibus composita quæ imo ventri illita, superimpositis dein vel sacculis paregoricis, vel lintaminibus calidioribus insignem sæpe exserunt efficaciam. Interdum quoque utiliter adhibentur pessi uterini ex oleo nucistæ

expresso & Zibetho vel moscho confecti. Magnopere laudant antiquiores medici suaveolentia utero immissa ut moschus, zibethum, Styrax & Benzoe, item suffimigia ex illis parata, atque ex illorum usu crassi & putridi ex utero humoris effluxum secutum esse notaverunt. Denique & venæsectio si præsto sit sanguinis notabilis abundantia mirum in modum spasmorum & convulsionum infringit vehementiam atque præsentaneum aliquando adfert levamen. Illa vero præsertim in usum vocetur, in feminis aut virginibus plethoricis quæ ex mensibus repente vel per prægressum terrorem vel aliam quamcunque ob causam cohibitis in passiones hystericas incidunt, & sine sensu ac motu, spiratione intercepta, decumbentes, faciem ostendunt valde rubicundam & apoplecticarum instar tumidam. Tantoque magis in hoc affectu postulatur venæsectio si insuper ægrotæ huic sanguinis evacuationi assuetæ illam fortasse neglexerunt aut omiserunt. Largior autem pro ratione abundantia sanguinis esse debet, & sæpius aliquando repetenda. Præter innumera hystericarum exempla quæ vehementissimis spasmis correptæ & exagitata sola instituta sanguinis missione protinus ad se redierunt, etiam complures veterum medicorum venæsectionem ubi affectus a nimia humorum abundantia & menstrui fluxus retentione fovetur, tanquam omnium præsentissimum & efficacissimum deprædicant remedium, illudque sæpe omnibus cæteris palmam longe præripere affirmant. Ex horum numero sunt *Panarollius* in iatrogenicis, sententia II. observ. 30. *Higminus* Libr. de passione hysterica, *Hoechstederus* Dec. IV. Casu II. *Riverius*, *Septalius*, *Mercatus* & *Rodericus a Castro* multique alii. Mitigata sic aliquantum mali ferocia & quiescentibus jam spasmis vehementioribus, superest ut Medicus causas diri hujus affectus removere & eradicare studeat. Huic scopo ut satisfaciat, opus est ut ante omnia primas vias a fordibus & impuritatibus quibus plerumque scatent & quæ eo magis augmentur quando sub paroxysmo graveolentia & anodyna liberaliori manu exhibita fuerunt, remediis convenientibus expurget & liberet, secundo ut sanguinis & humorum motum per antispasmodica & diaphoretica

retica æquabilem reddat & ad exteriora revocet, 3^{io} ut mensium fluxum, sive ejus vitium hujus morbi causa exstiterit, sive sub ipso morbo critica hæcce excretio turbata fuerit in ordinem redigat, 4^{io} denique cum hoc malum facile redire vel in alium morbum chronicum degenerare soleat, ut partibus afflictis robor & tonum suum restituat, & per accommodata nervina & roborantia debilitati ex morbo remanenti consulat. Ad primas officinas a saburra vitiosa & impuritatibus post morbum restitandis liberandas, alvus expurgari potest per blanda salina, in usum simul vocatis abstergentibus & incidentibus. Huic scopo conducunt sal anglicanum sal ebsoniense, absinthii & similia. Illis vero qui salina respuunt, propinari potest rhabarbarum, rheum, syrupus cichorii cum rhabarbaro, folia sennæ sine stiptibus aut ejusmodi blanda & lenia laxantia. Maximam autem præ reliquis laudem merentur pillulæ balsamicæ quas in superiori commendavimus §. becherianæ aut stahlianæ vel cum hisce convenientes, quibus si stimulus desideratur pauxillum addi potest extracti panchymagogi Chrollyi. Nec incongruæ quoque sunt pillulæ de succino Cratonis, tartaræ Schroederi, marocostinæ aliæque ejus naturæ. Robustioribus subjectis sequentes possunt propinari & Extracti Fumariæ, Card. bened. ana. Drachm. duas, Milleped. scrupulos duos, Resinæ Jalapp. Drachm. dimidiam, Gummi ammoniaci scrupulos duos, Cinabaris factitiæ scrupulum unum. ex quibus fiant pill. grani unius, quarum pro ratione subjectorum XV—XX. pro dosi porrigantur. Hisce remediis ad alvum apertam servandam, & novam fordium generationem præcavendam, semel vel bis per octiduum prout postulat necessitas uti possunt ægrotæ. Juvat quoque interdum usum digestivorum interponere atque absorbentium vel eundem laxantibus præmittere. Quod ad secundam nostram attinet indicationem, liberam scilicet & æquabilem circuli humorum restitutionem atque salutaris sub morbo suppressæ perspirationis revocationem, notandum est, sponte nonnunquam solius naturæ beneficio solvi hystericas affectiones per sudorem largiorem. Cum vero in affectu nostro sicut in omnibus spasmodi-

cis omnis generis excretiones insigniter turbantur & sufflaminantur, & sæpissime idem a causis externis provenire solet ut ab admisso frigore, unde præsertim in subjectis sanguine copioso & impuro scatentibus, ad internas partes compulsus sanguis varias efficit congestiones, pro quarum diversitate, differentes etiam observamus spasmodicas atque convulsivas nec non aliquando epilepticas afflictiones; satis utique patet quanta ab illis præsiidiis expectanda sit utilitas, quæ virtute sedativa & simul diaphoretica gaudentes, humorum circulum ad externum corporis ambitum dirigunt, & sic restituta liberiori perspiratione feri vitiosi & impuri distillationem adjuvant. Ex horum autem classe præ aliis commendari merentur, omnia illa quæ ex regno animali desumpta sulphure anodyno blando vaporoso prædita, aridam & ob spasmodorum vehementiam exsuccam cutim ejusque coarctatos & angustatos tubulos, aperiendi & laxandi vi pollent. Hujus indolis sunt Spiritus cornu cervi vel eboris per rectificationem depuratus, liquor cornu cervi succinatus, spiritus tartari rite præparatus, spiritus Bezoardicus Bussii & similia, quæ remedia in refracta dosi exhibita & aliquando insuper pro circumstantiarum ratione cum essentia croci, castorei, vel cum aliquot laudani liquidi Sydenhamii guttulis remixta egregium exserunt effectum. Si vero magis pulverum arridet forma, iidem parari possunt, ex blandis antispasmodicis & bezoardicis, qualia exhibent ossa cornua ac dentes animantium usta & philosophice præparata, eorundemque lapides, salina porro & nitrosa, præparata antimonialia, ut antimonium diaphoreticum, cerussa antimonii, ejus magisterium, cinnabaris nativa, factitia, antimonii, quibus etiam pulveribus ad augendam vim eorum antispasmodicam, si necessitas postulat, castorei, massæ pillularum de cynoglossa, de styrace, Starckeyanarum vel Wildegansianarum unum alterumve adiici potest granum. Jam ordine devenimus ad tertiam nostram indicationem, quæ ad negotii menstrui respicit vitia. Maximum sane tum ad præcavendum quam ad curandum nostrum affectum in saluberrimæ hujus evacuationis, quando modo, quantitate, tem-

tempore peccat, plane deficit aut vi quadam cohibetur, expeditione & revocatione positum est præsidium. Quamvis autem plurima ad hunc scopum obtinendum suppetunt auxiliorum & remediorum genera, attamen cum menstruæ excretionis vitia a multiplicibus & diversis provenire possunt causis, facile patet quantis vitiatæ hujus evacuationis revocatio & restitutio sæpe prematur difficultatibus. Pro diversa etenim natura causarum quæ negotii menstrui induxerunt turbationem & quarum ratio habenda est exquisitissima, differenti quoque medicatione uti convenit. Quod si igitur forte nimia sanguinis copia, quæ vasorum insigniter minuit tonum & elasticitatem, imminuti vel suppressi fluxus causa est, nullum tunc præstantius & efficacius sanguinis detractioe datur remedium, quæ ut eo major fiat revulsio & derivatio in pede instituat. Si vero e contrario potius a sanguinis & laudabilium humorum inopia, mensium provenit vitium quod in illis observamus qui largiores experti sunt hæmorrhagias, quique simul ob dejectum ventriculi atque intestinorum tonum vulgo imperfecta laborant digestionem & chylicationem; eo potissimum anniti debet medicus, ut jusculis nutrientibus, alimentisque euchymis & gelatinosis sanguinis subveniat defectui, & digestionis ac chylicationis negotium per convenientia remedia adjuvet & in ordinem redigat. Nonnumquam vitiati fluxus causam subministrat prava humorum conditio & hinc provenientes vasorum obstructions & infarctus, in quo casu maxima ab incidentibus, antiscorbuticis, & speciebus sic diætis per epierasin laxantibus expectanda est utilitas. Hoc nomine commendari merentur infusa ex emmenagogis specificis parata & jam in antecedente §. laudata, item decocta ex radicibus atque herbis, aperientibus & uterinis, addito levi quodam stimulo ut boracis vel croci, concinnata, nec non laxantia balsamica versus menstruæ evacuationis periodum propinanda. Egregium quoque prudens aquarum mineralium usus offert præsidium, ex quibus pro interno Thermæ præsertim Carolinæ, pro balneo vero & externo usu Tæplices omnibus fere cæteris palmam præripiunt. Priores enim humores lentos & viscidos

incidunt, resolvunt, & evacuant, atque tubulos minimos referant, posteriores vero stricturas spasticas mitigant & sic impeditum humorum optime expediunt circulum. Si a tubulorum spasmodica constrictione cruoris uterini remoratur & impeditur effluxus, omnia illa quæ demulcendi & mitigandi vi pollent, exoptatissimam ferunt opem, cujus indolis sunt millefolium, crocus, castoreum & quæ ex illis parantur, nec negligenda sunt pediluvia, balnea, fodus & clysteres. Quod si denique a solidorum vitio, a fibrarum & vasorum dejecto robore atque tono provenit negotii menstrui ataxia, tunc optime se gerunt illa quæ sale tenui volatili, & principio leni adstringente in fibras debiles agunt easque solantur, hujus generis sunt aromata calidiora, gummata, bdellium, sagapenum opoponax, myrrha, succinum, ex herbis melissa, sabina, satureja, rosmarinus, item baccæ lauri & juniperi, nec non martialia mitiora, tincturæ ex illis paratæ & salia volatilia. Atque hæc de tertia sufficiant indicatione. Restat adhuc quarta & ultima quæ jubet roborare partes sub morbo afflictas, illisque tonum suum restituere, quo & debilitas adhuc remanens auferatur, & hoc ipso novi insultus præscindatur metus. Eo vero inprimis respicere debet medicus huic indicationi satisfactorius ut utero labefactato pristinum reddat tonum, & simul bonæ digestionis & chylicationis studeat. Utrumque hunc scopum iisdem remediis obtinere, & sic duos ut ajunt una fidelia dealbare licet parietes. Optime autem illa nostræ indicationi satisfaciunt remedia, quæ principio sulphureo balsamico, vel terreo paulo fixioris naturæ, sive saponaceo & amaricante prædita, humores lentos & viscidos incidunt & dissolvunt, vasa infarcta & obstructa liberant, simulque fibris a tono suo dejectis, amissam vim contractilem & elasticam iterum conciliant. Ex horum censu præ aliis jucunda se commendant efficacia balsamica temperata, ut myrrha, succinum, opoponax & similia & ex his ad modum Becherianarum vel Hoffmannianarum concinnatæ pillulæ, item extracta amaricantia & carminativa ut zedoariæ, cardui benedicti, absynthii, fumaricæ, corticum aurantium cum menstruo non nimis spirituoso
 in

in Elixirium redacta. Nec minori se probant utilitate infusa ex herbis sic dictis uterinis & blande adstringentibus ut artemisia, aristolochia longa & rotunda, matricaria, melissa turcica & nostrate &c. Denique & chinæ atque cascarillæ cortex prudenter exhibitus, item tenuissimi martis croci & essentia scopo roborandi egregie satisfaciunt & sæpissime id præstant quod aliis non facile obtineri potest remediis. Hæc igitur sunt illa quæ quartæ nostræ indicationi convenire videntur, quæque affectus a labe viscerum in malo hysterico contracta provenientes optima ratione arcent. Superest adhuc ut quasdam quæ circa mali hysterici curationem occurrunt cautelas huic tractationi subjungamus, id quod in sequenti faciemus paragrapho.

§. X I.

Primo autem omnium monendum mihi videtur, probe discernendas esse individuorum ægrotantium naturas, adeo sæpe inter se differentes ut frequentissima constet experientia illa quæ ut plurimum in nostro affectu præsentissimam & exoptatissimam ferunt opem nonnullis adeo contraria esse ut symptomatum potius inde experiantur exacerbationem. Sic aliquando nonnullæ reperiuntur fœminæ quæ graveolentium tam externum quam internum usum nullo modo ferre possunt, qui tamen in quamplurimis hoc morbo ægrotantibus insigni se commendat effectu. Aliis spirituosæ, & illa quæ vulgo in graviore syncope in auxilium vocari solent remedia nihil omnino adferunt levaminis, sed potius sola aquæ adspersione ad se revocantur. Nec quidem unum idemque remedii genus quod semel in ægro profecit in alio tempore ipsi prodest. Non enim ubique & semper eadem partium nervosarum est conditio & dispositio. Id quod observamus a balneorum, fotuum, nervinorum calidiorum nec non anodynorum & opiatorum usu. Interdum quoque & quidem imprimis quando affectus est hæreditarius, vel quando potissimum ab anomalia motuum quæ in consuetudinem abiit provenit & sustentatur, optima quælibet & huic malo tollendo alias satis idonea remedia parum vel

om.

omnino nihil proficiunt, sed potius a mutatione ætatis, aëris, vitæ generis atque victus illud expectandum est quod in remediis ex pharmaceutico fonte petitis frustra quæritur. Licet vero remedia quæ in superioribus apposuimus paragraphis tempore suo adhibita causis mali hysterici tollendis satis sint accommodata, sunt tamen nihilominus circa rectum eorum usum cautelæ quædam observandæ quarum jam recensuimus præcipuas. Quod igitur venæ sectionem attinet notandum est illam sæpe quidem præsentaneam ferre opem, nonnumquam tamen eandem vel intempestive adhibitam, vel largiorem aut crebrius repetitam plurimum nocere. Sic post graves & largiores hæmorrhagias ubi corpus sanguine & viribus exhaustum est, nullum locum invenit sanguinis missio, quippe quæ spasmos a vasorum inanitione provenientes magis auget & exacerbatur, congestionibus ansam præbet, vires pessumdat & malum reddit pertinacius. Anodyna & illa quæ sopiendis motibus spasticis & convulsivis conveniunt non equidem utilitate sua carent, dummodo non ante solutam plethoram & primarum viarum repurgationem exhibeantur. Summa vero in eorum usu opus est circumspectione & prudentia quoniam liberaliori manu propinata insignem fibræ debilitatem conciliando maximum inferunt damnum, neque nimium illorum usui est fidendum, quippe spasmos equidem ad tempus egregie mitigant, ne utique vero ad materiam lædentem removendam sufficiunt. De salinis notandum est illa in subjectis tenerioris texturæ paulo largiori & justo crebrius repetita dosi oblata sæpe effectum magis noxium exserere quam utilem. Stimulante enim suo principio sensibiles intestinorum fibras & reliquas partes membranaceas fortius irritant atque stricturas spasticas hac ratione intendunt atque augent. Quapropter scopo alvum subducendi iis præferenda omnino videntur temperata balsamica quæ blanda simul gaudent virtute roborandi. Balneorum & pediluviorum singularis ad stricturas spasticas relaxandas est efficacia, si vero paulo fuerint calidiora nimium quantum genus nervosum debilitant & paroxysmos non raro iterum revocant atque exacerbant ideoque non nisi temperata adhiberi debent. Notandum

dum quoque est balnea & pediluvia dum aliquo modo humores commovent plethoricis esse infensissima & hanc ob rationem ante illorum usum nimiam sanguinis copiam conveniente venæ sectione subtrahi debere. De roborantibus pauca adhuc mihi supersunt monenda. Quemadmodum maximus ex illorum usu exspectandus est fructus, si ad partes debilitatas restaurandas & ad præscindendam recidivam cum judicio & prudentia porriguntur, ita e contrario longe maximum inferunt damnum quando ante spasticorum motuum cessationem vel fordibus impuris adhuc in primis viis hærentibus, item ante debite immutatam plethoram ejusmodi exhibentur remedia. Quippe enim causam morbi non tollunt & materiam lædentem si quæ adest non subtrahunt, ad tempus tantum aliquando nonnullam sublevationis præbent speciem, re vera autem vel recidivam, vel novum eumque sæpe priori deteriorem morbum inducunt. Cautè præsertim cum roborantibus est mercandum, quando necessitas talia subjectis valde imbecilibus vel exquisitiore sensibilitate præditis exhibere jubet, quippe facillime spasmos ad quos ejusmodi homines valde sunt proclives iterum revocant atque exacerbant. Hinc uti in omni remediorum genere, leniora & mitiora remedia semper activioribus præferenda sunt, ita in præsentī casu admodum hac cautione opus est, nec unquam ad martialia & roborantia fortiora est descendendum ubi blandiora qualia sunt temperata balsamica ad scopum obtinendum sufficere videntur.

§. X I I.

His igitur excussis restat ut paucis mali hysterici tradamus prognosin. Constat vero in genere de affectione hysterica, quod licet vulgo maximum incutere soleat terrorem, attamen per se raro sit lethalis, nisi forte imperita & imprudenti tractatione exacerbata fuerit vel a gravibus animi commotionibus & notabilioribus in diæta & regimine vitiis incrementa sumserit, vel denique corpora invaserit infirma & jam ante valetudinaria. Longe autem faciliorem adfectus noster admittit sanationem quando in junioribus occurrit subjectis ubi menses

D

non

nondum penitus cessarunt, quam quidem in annosioribus, interdum enim per largiorem sudorem, per solam mensium suppressorum vel hæmorrhoidum eruptionem funditus tollitur. Pro bono & brevi subsecuturæ morbi solutionis signo habentur sternutationes in ipso paroxysmo supervenientes, item prodeuntes copiosi ructus, magnum quoque ex flatuum eruptione levamen percipiunt ægrotæ. Affectus hystericus quando ex hæreditaria provenit dispositione remediis frustra oppugnatur, sibi relictus sub debito & conveniente regimine sæpe sua sponte cum ætatis mutatione, imo nonnumquam inito conjugio evanescit. Pertinacius redditur malum nostrum ubi vetustas accessit quo diutius enim durat & quo sæpius recurrit eo magis chronica extimescenda sunt pathemata, quæ sæpius ipsi se jungere solent, ut viscerum labe aut scirrhosæ indurationes œdemata, hydrops, incongruæ sanguinis per vomitum aut mictum eruptiones nec non paralytici & arthritici affectus. Notandum autem est de his afflictioni hystericæ supervenientibus affectibus, quod illis magis invalescentibus mitescant pathemata hystERICA, simulac vero adhibentur topica promte iterum ad interiora recurrunt & ibi eo majorem exercent sævitiam. Gravidis superveniens noster affectus dum abortum minitatur semper est periculosior, perinde etiam puerperis ob facile inde provenientem lochiorum suppressionem. Quando malum ab uteri labe ex infelici abortu, difficili puerperio, aut molæ vel polyposi concrementi in utero generatione contracta suos ducit natales, raro perfecte curatur, sed admodum frequenter & facile ex levissima quacunq; causa recurrit. Similiter quoque valde rebellis & diuturna observatur passio hystERICA, quando cum malo hypochondriaco ut sæpius ex vitiis in diætâ & regimine commissis fieri solet, jungitur & complicatur. Quamvis vero sæpius evenit ut hystericæ mortuarum instar, non quidem per horas sed per integros sæpe decumbant dies ne ullum quidem vitæ signum edentes, ita ut nullus quoad sensus amplius superstes esse videatur calor, nullus pulsus nullaque respiratio; attamen cum plurima prostent exempla ejusmodi ægrotas pro defunctis habitas & sæpe jam elatas & sepultas post satis notabile temporis spatium iterum ad se redisse,

diffe, non statim omnis prorsus abjicienda est spes sed potius tentandum num per crebriorem & continuatum convenientium auxiliorum usum excitari possint. Quod si autem lethali eventu terminatur passio hysterica, tunc mors vel apoplectico vel epileptico contingit insultu.

§. XIII.

Antequam vero tractationi huic finem imponam, mentionem adhuc faciam morborum quorundam qui cum nostro quoad affligendi modum maximam habent affinitatem, revera autem magnopere ab illo differunt & hinc plane diversam exposcunt medicationem. Sic dirus noster affectus multa sæpe cum passionibus nephriticis communia habet symptomata, adeoque nonnunquam accurate calculum mentitur, ut is qui non exquisitam habet rationem pathematum morbo nostro peculiarium, qualia sunt difficilis & intercepta respiratio, suffocatio fauciumque strangulatio nec non animi deliquia, vix certus esse possit utrum malum ab utero an a calculo proveniat. Non raro quoque spasmi uterini vesicam urinariam ob ejus viciniam & arctissimum cum utero consensum infestantes, sphincterem vesicæ constringunt & urinæ exitum præcludunt, non secus ac si calculus meatum urinarium obstrueret cum tamen nullus omnino adsit. Eoque propius spasmi uterini ad vesicam propagati ad calculi accedunt genium, dum fere semper molestissimo illo & calculosis adeo familiari tenesmo stipati se ostendunt. Præter vero illa quæ paroxysmum hystericum a spasms ex calculo provenientius distinguunt signa, aliud insuper quo hunc affectum ab hysterico dignoscere possumus discrimen nobis exhibet conditio urinæ, quæ in hysterics clara & limpida prodit, a calculosis vero tenuis alba & turbida excernitur cum sedimento viscido lutofo & fere argillaceo, sicut etiam in nephriticis crassior sabulosa rosei vel lateritii coloris imo aliquando intense rubicunda esse solet. Non absimile porro passioni hysterice malum interdum constituit rheumatismus scorbuticus, qui vagis & spasticis cruciatibus nunc hanc vel illam partem externam obsidentibus, nunc ad

interiora recurrentibus ægros mirandum in modum divexat & potiora sæpe morbi hysterici imitatur symptomata. Cum vero potissimum a sordibus impuris acribus & biliosis in primis viis stabulantibus & hinc inquinatis humoribus originem ducit hoc malum, remediis antihystericis minime cedit sed diversam & singularem exposcit medicationem. Interdum etiam varii observantur affectus spasmodici vagi ex sola verminosa in corpore hærente colluvie. Ingrati enim tales hospites vel teneras & sensibiles intestinorum membranas arrodendo & vellicando torminosos atque strangulatorios excitant affectus pathematum hysteri corum scenam exquisite sæpius æmulantes, vel mortui & in corruptionem abeuntes acres causticos & putridos emittunt vapores, qui in humorum massam abrepti illam totam corrumpunt & hinc gravissimos universo systemati nervoso inducunt spasmos sub eadem interdum sub qua uterina passio suam tragædiam ludere solet forma se manifestantes. Sunt & alii adhuc affectus qui itidem nonnunquam satis accurate nostri referunt genium, sed hosce apposuisse sufficiat ex quibus satis liquet quam difficile aliquando in morbo nostro sit medentis judicium & quanta sæpe opus sit cura & solitudine ut symptomata hysterica ab aliis quos non raro æmulantur morbis rite dignoscantur.

§. X I V.

Multa equidem adhuc superessent de morbo nostro dicenda, & pluribus forte voluminibus conscribendis amplissima suppeteret materies si quis sexcentas illas ærumnas & innumeras istas calamitates quarum auctorem esse uterum perquam scite ait Democritus in epistola ad Hippocratem depingere & curiosius describere atque omnia quæ de iisdem commemoranda forent exhaurire vellet, attamen cum meus tantummodo fuit scopus ut brevem ac concinnam mali hysterici traderem theoriam & curationem potiora atque præcipua quæ circa hunc morbum notanda mihi videbantur hisce pagellis indicasse sufficiat.

F I N I S.

V I R O
G E N E R O S O E T D O C T I S S I M O
P E T R O , S A M U E L I
D E C H A U F E P I É ,
M E D I C I N Æ D O C T O R A N D O D I G N I S S I M O

S U M M O S I N G A L E N I C A A R T E H O N O R E S
G R A T U L A T U R

D U B I A M Q U E I N P O S T E R U M P R Æ S E N -
T I A M D E P L O R A B U N D U S

A M I C I S S I M E A C C I N I T

C H R I S T I A N U S P H I L I P P U S
W E R N E ,
O S N A B R U G E N S I S

M E D . D D U S E T O P P O N E N S .

*Quæ, FORTUNA! tuam rapit inconstantia mentem?
Ut, quæ nunc longum mea sunt, malefida repente
Diripias? ast non argentum, aut æra, vel aurum;
Sed corpus separans, ut Barbara, surripis omne
Dimidium nostri. . . . Sed num succenseo digno
Jure Tibi? . . . Ignoscas, rogo te! furor abripit omnem*

*Mentem: Munifica es, pro scommate gratia danda;
Laurigerum Nostro dum Phœbum jungis Oresti,
Et suffers hominem Musarum Numine plenum
Substituisque Deum . . . tamen at sunt gaudia vana!
Ludit adhuc fors, instar apis, dum mella reponit
Spicula dans auget fundendo mella dolores.
Nam primum, quo non superest mihi Charior alter
Sæva rapit Nisum; Deū Phœbum Numine clarum
Pœonio; sic infigit duo vulnera cordi.
Nescio, quodne magis cruciet: sed nonne secundum
Gaudia magna parit? Dum Tantus in arte medendi
CHAUFÉPIE' evadit Noster, Natusque fidelis
Dum redit in Patriam, spes expectata! colendam:
Ergo lætabor, non id reputavero vulnus,
Quod Te Doctorem videam discedere; namque
Invidisse scelus foret Ægrotisque TIBIQUE
O! mihi dilectos inter PARS PRIMA sodales!
Ast alius superest dolor aut si malis hic idem:
Tantus Amicus abit parvo junctissimus usu.
Hoc angit, cruciat, torquet, mea Pectora findit,
Pectora juncta fide Thesea. Tristia miscet
Sic Fortuna jocos: Veniat jam Doctus Apollo,
An super id lacrymas, super hæc num Gaudia fundam,
Dicat, nam certant alterno Gaudia luctu.
Quis levet arte malum hoc? Quid quero? Noster Amicus.
Nonne manus gestas medicas? Es vulneris Author,*

Vul-

*Vulneris, eu mirum! es Medicus, primamque medelam
Illustrisque Artis Specimen das corpore nostro.
Namque duo validi effectus cataplasmata Cordi
Imponis nostro. Sunt: Disceptatio Doctam
Qua decorasti Halam, dein Dissertatio præfens,
Quæ simul est præservativum obliviam tollens
Dulcis amicitie, hæc sunt Pharmaca grata Dolorum,
Quos mihi Discessus Tuus adfert, FIDE SODALIS!
Præsentemque mihi Te sistens usque remotum,
Atque meo cordi infigent hæc altius imo
Illud amicitie Sanctum & Venerabile Nomen
Chaufepié. . . .*

Rarum Tanti est habuisse Patroclum!

Dabam.

Lugduni in Batavis
e Museo
d. xxv. Juny
MDCCLII.

Natura, en miamul, et Medicus, primarius modestus
Istiusque hinc speciem de corpore legit,
Natura deinde efficit corporata Celsa
Iamque noster, Sicut, Disceptatio Botanica
Qua decessit Habet, alia Disceptatio Botanica
Qua simul est praesentationum obliqua tollant
Dicit amicitia, hinc sunt Iphigeneae Graecae Delorum
Qua mihi Disceptatio Iam abest, Tunc Socratica
Praesentemque mihi Te habet utque tentant
Algae meae cordi insunt hinc alium imo
Hinc amicitia Socratica, et Nervosile Nomen
Causa...

Ravens Tardus est habetis Parochiam!
Istiusque hinc speciem de corpore legit,
Natura deinde efficit corporata Celsa
Iamque noster, Sicut, Disceptatio Botanica
Qua decessit Habet, alia Disceptatio Botanica
Qua simul est praesentationum obliqua tollant
Dicit amicitia, hinc sunt Iphigeneae Graecae Delorum
Qua mihi Disceptatio Iam abest, Tunc Socratica
Praesentemque mihi Te habet utque tentant
Algae meae cordi insunt hinc alium imo
Hinc amicitia Socratica, et Nervosile Nomen
Causa...

Datum, die 20. Julij
1775.
MDCCLXXV.